Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26540
Copyright: Admont, Benediktinerstift

100

nam contra persecutorem fallentem. contra hostem blan
dientem. contra constantium antichristum. qui non dorsa
cedit sed uentrem palpat. non proscribit ad uitam. sed
ditat ad mortem. non trudit carcere ad libertatem.
sed intra palacium onerat ad seruitutem. non latera uexat
sed cor occupat. non caput gladio desecat. sed ani
mam auro occidit. non ignes publice minatur.
sed gehennam priuatim accendit. non contendit ne uin
catur. sed adulatur ut dominetur. Christum confitetur ut
neget. unitatem procurat ne pax sit. hereses
comprimit ne christiani sint. sacerdotes honorat
ne episcopi sint. ecclesie tecta struit. ut fidem destru
at. te in uerbis. te in ore circumfert. et omnia omni
no agit. ne tu ut deus. ita et pater esse credaris.
Cesset itaque maledicorum opinio. et mendacii suspicio.
Veritatis enim ministros decet uera proferre. Si
falsa dicimus infamis sit sermo maledicus.
si uero uniuersa hec manifesta esse ostendimus. non
sumus extra apostolicam libertatem et modestiam. post longum